DE

PHLEGMATIA ALBA DOLENTE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Carolus Georgus Rudolphus Deetz

NEO-BRANDENBURGENSIS.

Opponentibus:

C. LIEBERMANN, med. et chir. Cand.

J. BECHERT, med. et chir. Cand.

F. de CAMP, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

Typis Fratrum Schlesinger.

VIRO

NOBILISSIMO, HONORATISSIMO

F. DE SCHLAGENTEUFFEL,

FAUTORI SUMMOPERE VENERANDO

NEC NON

VIRO

AMPLISSIMO, SPECTATISSIMO

F. DEETZ,

AVUNCULO SUO AESTUMATISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

§. I.

MORBI DEFINITIO.

Phlegmatia alba dolens (Phlegmatia alba dolens puerperarum, oedema lacteum, oed. puerp., ischias a Sparganosi, white leg, depot laiteux à la cuisse, infiltration laiteuse, weiße Schenkelgeschwulst der Wöchnerinnen) est morbus peculiaris, rarissime observatus, qui in albidissimo tumore 1) maxime dolente, tenso, interdum in abscessum exeunte, potissimum puerperarum 2) extremitates inferiores 3) insidente, cernitur.

---

1) White quidem negat, se unquam suppurationem exorientem vidisse; cujus tamen exempla Simmons, Hull, Boer, Callisen et Casper afferunt. Vide caput de prognosi.

2) Sed etiam in gravidis et, caussa favente, in masculo quoque sexu morbus oriri potest, ut testantur Evans in Duncan's Med. Commentar. X, p. 302. sqq. White in C. White's Untersuchung der Geschwulst bei Kindbetterinnen an den unteren Gliedmaßen. Aus dem Englischen übersetzt, Wien 1802. p. 91. Simmons in London medical and physical Journal 1806, XV, p. 5. et Sankey in observations on Phlegmat. dol. in Edinburgh medical and surgical Journ. 1814, X, p. 402.

3) Callisen et Casper exempla proferunt, ubi morbus etiam superiores extremitates petiit.

§. 2.

MORBI SYMPTOMATA ET DECURSUS.

Interdum jam in graviditate symptomata valetudinis adversae morbum praenuntiant. Conqueruntur aegrotae in ultimis graviditatis mensibus dolorem profundum, vehementem in regione iliaca aut in crure ipso illius lateris, quod post enixum morbo ipso corripitur. Lassitudo artuum et febris comitantur hosce prodromos; hydropem anasarca et febrem puerperalem praeeuntem animadverterunt Hull 1), Casper 2), J. Thacher.

Tempus, quo morbus ipse ordiatur, non esse constans, omnes scriptores consentiunt. Morbum incipientem nychthemero post partum vidit White, Feriar et Casper. Quinto die morbum incepisse, exemplum affert Casper. Ortum illius quarta hebdomade Sachtleben 3); quinta White; sexta Puzos 4) observavit. Plerumque autem decem circiter aut quatuordecim diebus post partum morbus intrat, et quidem dolo-

---

1) An Essay on Phlegmatia alba dolens including an Account of the symptoms, cause and cure of Peritonitis puerperalis et conjunctiva. Manchester 1800. pag. 132.

2) Commentar Halae 1819, pag. 55.

3) Starks Archiv f. d. Geburtshülfe II. 2. pag. 47.

4) Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch für practische Aerzte. Leipzig 1785, Bd. I, pag. 18.

ribus maxime vexantibus, sensim sensimque in regione iliaca inguinalique unius vel alterius corporis lateris apparentibus. Est jam nunc tumor exiguus. Mox vehemens dolor descendit in partes pudendas, cui plerumque dolor in columna vertebrali extrema, interdum etiam in imo abdomine ejusdem lateris praecedit, unde provehitur dolor in crus et pedem. Saepius vero subito dolor in interna surae parte et in genu articulo sentitur, vel sequitur cursum nervi sapheni, atque etiam venae saphenae crassiores fiunt, et pressae dolorem movent. Interdum nullae sunt molestiae in regione iliaca et inguinali animadvertendae, et primum symptoma est surae dolor. Febris, semper comes, acuta, interdum ab horrore ordiens, et pulsum celerem (120—130) movet, sed non durum neque plenum. Tractus intestinalis magis minusve afficitur. Nam lingua est muco obtecta atque humida; ciborum appetentia nulla; sapor amarus vel aliter perversus; alvus aut obstructa, et excrementa lutea deponuntur, aut diarrhoea biliosa. Post viginti et quatuor horas, quam ingressi sunt, dolores paullulum remittuntur, et mox partes affectae intumescere incipiunt, ita ut primum superiores partes, regio inguinalis, pudenda, femur, deinde crus, surae ac denique pes ipse tumida fiant.

Burns autem saepissime tumorem primum in sura inveniri,

eumque abinde sursum ascendere contendit 1). Morbum plerumque alterutram tantum partem aggredi, jam supra commemoratum est. Verum etiam ambae extremitates afficiuntur, ut ex Westbergii 2) et Casperi 3) historiis morbi cerni licet; atque adeo extremitates superiores tumore correptas Callisen nec non Casper observarunt.

White 5) pro pathognomonico habet signo totius labii pudendorum intumescentiam, ad latus affectum solum pertinentem, ita quidem, ut, si linea ab umbilico usque ad anum duceretur, ultro hanc illa nunquam excederet. Quae sententia ab aliis, praecipue ab Hullio refutatur, neque tanti est, quanti ille facit.

Artus affectus nullo modo moveri potest; quae inertia non solum e doloribus, sed potius e nervorum vi suppressa causam repetere videtur. Febris nunc admodum augetur; in aliis aegrotis duas vel tres, in aliis sex vel octo hebdomades perdurat, ac tunc facile febris hecticae speciem refert. Et pa-

---

1) Handbuch der Geburtshülfe von John Burns, herausgeg. v. Dr. H. F. Kilian. Bonn 1834. pag, 579.

2) Hufeland's Journal 1817. 2. p. 3.

3) l. c. p. 53.

4) Princ. system chirurg. hodiernae. Hafn. 1780. pagina 22. §. 36.

5) l. c. p. 19.

ralytica febris, quamvis rarissime, observata est, ubi vires omnino exhaustae, halitus atque excrementa putrida, pulsus celerrimus et filiformis, lingua arida, subsultus terdinum etc. inveniebantur. Pervigilia et sudores nocturni incidunt. Omnes in pelvi sitae partes magis vel minus dolent; orificium uteri est apertum.

Temporis spatium, quo tumor nascitur et summa amplitudine tenus accrescit, duabus circiter diebus completur. Aliquando, latus affectum bis crassius altero tum fit. Partes tumentes calent, vehementer dolent, ita ut aegrota summum edat clamorem, cum digito tumorem tentas. Tumor multo est durior hydropico tumore, non tam frigidus; nec diminuitur situ horizontali, nec digitus premens foveam relinquit; incisus non nisi paucas lymphae guttulas emittit. Signa inflammationis omnino desunt; rarissime tantum observatae sunt sparsim maculae rubrae flammeae; partes affectae albent, et laevitate speculum aequant; recedente tumore glandulae lymphaticae intumefactae evadunt. Post decem, raro post duas vel tres dies tumor et dolor paullatim decrescunt, quo in stadio aegrota diutius versatur, tarde enim restauratur; remanet debilitas et artuum rigor, et interdum fit, ut nunquam evanescat tumor.

Saepissime autem non tam feliciter morbus terminatur, sed aut jam in decursu etiam alterum latus intumescit, aut morbus

in ipso latere affecto novum decursum iterat. Omnino morbus semper chronicus est, et menses imo annos persistit, diversosque habet eventus, quorum frequentissimi sunt: extremitatum debilitas, claudicatio 1), suppuratio, elephantiasis 2) et ipsa mors.

§. 3.

DIAGNOSIS.

Quamquam ea, quam modo confeci, adumbratione morbi imaginem accurate expressisse mihi videor, ita, ut ne facile quidem quisquam ignoscere eam et commutare possit, tamen ad certiorem morbi definitionem exhibendam nonnulla verba de morbis illis, quibus morbus noster in singulis symptomatibus similis est, facere mihi liceat, praesertim quum hoc nostro tempore fere omnes Phlegmatiam albam dolentem vidisse se contendant. Falluntur mehercle. Veteres enim scriptores eam nunquam fere vel rarissime viderunt. Sic Wyer 3) contendit se inter 989 puerperas nonnisi quinque observasse hoc morbo correptas; ratio

1) Boer Abhandlungen und Versuche geburtshülflichen Inhalts. Wien 1792.

2) Th. Batemann practische Darstellung der Hautkrankheiten, aus dem Englischen. Halle 1815.

3) On lymphatic distention in London medical and physical Journal for 1800, XXII, pag. 301.

igitur circiter 189: 1 foret. Eandem rationem constituit Sankey 1). Bland 2) inter 1897 puerperas nonnisi quinque isto malo laborantes vidit, nec plus unam inter 2000 observavit White 3). Sunt autem morbi, quibuscum confundi potest Phlegmatia, hi:

Primum hydropem nomino; sed hunc facile discernemus; nam tumor in hydrope multo mollior, frigidor, digito prementi cedens faveamqne relinquens, omnino non dolens est; diminuitur situ horizontali, et incisus aquam emittit. Oedema semper ab inferioribus partibus ascendit. Plane igitur diversa sunt symptomata ab illis, quae phlegmatiam designant.

Nonnulli cum rheumatismo morbum confuderunt; sed jam sedes morbi nobis discrimen ostendit, quum rheumatismus in articulis et musculis, Phlegmatia alb. dol. autem in tela cellulosa maxime sedem locumque habeat. Praeterea, quos doloros rheumatismus secum fert, ii vagi sunt, et remittuntur; quin etiam tumor nunquam tantam amplitudinem assequitur et frigidior est. Nec minus anamnesis discrimen faciet, quum caussae plane aliae sint. Unius tamen speciei rheumatismi praecipue habet simili-

---

1) Observations on Phlegmatia dolens in Edinburgh medical and surgical Journal 1814. X. pag. 402.

2) Philosoph. Transact. Vol. LXXI. II, 22.

3) l. c. pag. 13.

tudinem Phlegmatia, quae a Ferriar 1) et Schmalz 2) bene est descripta, et rheumatismus lymphaticus nominatur. Qua in specie etiam inferiores extremitates doloribus acerrimis et tumore calidissimo corripiuntur, tactum non ferente, tenso, colore non mutato, neque raro inflammata sunt vasa lymphatica, quod ex striis rubicundis et duriusculis cognoscere licet. Ita similia hujus morbi symptomata sunt, ut Casper 3) opinetur, speciem nostri morbi esse rheumatismum lymphaticum. Differt autem, ut ille dicit, eo quod inferiores partes primum invadit, unde sursum ascendit, et quod limitatum in scroto, brachio etc. se ostendens, magis topice decurrit.

A pneumatosi hysterica morbus noster eo differt, quod hoc spasticum oedema fugax est, subito apparet, mox evanescit, modo mulieres hystericas corripit, semperque aliis hystericis symptomatibus conjunctum est. Sydenham 4) hujus morbi historiam narrat, quae autem majore cum jure ad phlegmatiam alb. dolent. est referenda. Cujus verba haec sunt: „in quo genere is, qui tibias distendit, tumor prae reliquis

---

1) Sammlung auserlesener Abhandlungen für practische Aerzte 1785. XIX. pag. 216.

2) Schmalz Versuch einer Diagnostik in Tabellen. Dresden 1816.

3) Casper commentar. Halae 1819. p. 20.

4) Dissertatio, epistola ad G. Cole. pag. 490.

conspicuus est. Cum enim in hydropicorum tumoribus duo haec semper observari possint, ut tumor scilicet sub vesperam se majorem exhibeat, tum etiam ut pastae instar madentis vestigium digiti fortius impressi, formamque referat jam in hoc altero, tumor matutino tempore protuberantior est, nec digito cedit prementis aut vestigium ullum manet. Plerumque etiam tibiarum alterutram tantum inflat: de caetero sive magnitudinem spectes, sive etiam superficiem hydropicorum tumores ita ad amussim aemulatur, ut aegre se haud facile ab ea, quae insedit sententia, dimoveri patiantur."

Ischias facile a morbo nostro est distinguenda. Omnia diximus, dum commemoramus, eam esse rheumaticam affectionem nervi cruralis aut ischiadici; itaque dolor cursum horum nervorum tenet; remittitur, nec tumor adest.

Varicositates vasorum sanguiferorum non sunt conferendae et Phlegmatiam alb. dolent., quum in hac omnes venae, et ipsae varicosae evanescant, ac minus sanguinis in crure adesse videatur quam in valetudine 1). Sed etiam Th. Soemmering 2) varicositatis vasorum absorbentium mentionem facit; sed ipse dicit, se cum impetu lympham prosilientem e vase tali

---

1) White l. c. pag. 21.

2) S. Th. Soemmering de morbis vasorum absorbentium etc. Trajecti ad Moenum 1795.

varicoso, vel acu vel lanceola in aegrota aperto, vidisse, quod nunquam in Phlegmatia alb. dolente evenit.

Cum emphysemate, erysipelate tumoreque albo nemo forsan hunc morbum commutet. Quod attinet ad illum morbum „Cochin legs“ dictum, et de induratione telae cellulosae neonatorum Casper 1), qui optime de his disseruit, conferatur.

§. 4.

AUTOPSIA CADAVERUM.

In sectione extremitates tumefactae tenui materia fibrosa infiltratae inveniuntur, nonnunquam etiam parvi abscessus inter musculos, aut magni in femore. Venae, et quidem vena femoralis aut saphena inflammatae sunt et pure impletae, quod etiam in vasis absorbentibus cernitur. Interdum in pelvi conspicimus abscessus; glandulas in ea positas vel glandulas inguinales tumefactas, atque articulationes inflammatas. Non raro signa peritonitidis, saepissime uteri venarum inflammationes distincte apparent. Etiam in thorace status inflammatorius adest. Zinn 2) invenit nonnullas glandulas inguinales scirrhosas, intu-

---

1) l. c. pag. 23 et sqq.

2) Commentarii societatis regiae scientiarum. Goettingens. Tom. II. 1752.

mescentes circa arteriam cruralem jacentes, ubi ejus lumen valde obliteratum erat.

Casper 1) in sectis cadaveribus haecce invenit: „crurum tumor adhuc idem erat, ubique aequalis; omnes vero ceterae cadaveris partes valde affectae inveniebantur. In thorace pulmones fere sani videbantur, nonnullis tuberculis in dextro superiore lobo vomicaque sat magna, cum bronchiis communicante, exceptis; cordis substantia muscularis insigniter flaccida erat. In abdomine aperto hepatis totius incrementum primum notatu dignum observatum est; parenchyma molle erat et pulposum, ita ut digitus facillime idem perforaret. Ligamenta uteri lata insigniter vasculis instructa videbantur; superficies interna uteri sordido, viridi colore utebatur, mollis erat, gangraenosa, putrida. Orificium uteri tumidum erat, lividum, gangraenescens, sicut tota vagina. Crurum cute tum perscissa, tela mucosa visa est paullo laxior ubique liquido subfusco, odore carente, impleta; glandulae inguinales sanguine solito abundantiores et tumidiores reperiebantur; musculi flaccidissimi erant et in crure et in aliis partibus. Vasa magna sanguifera, omnino sana sunt visa et in interna et in externa superficie; eodem modo ne minimum quidem nervi crurales, ischiadici etc. extra morem

1) l. c. pag. 54.

erant. Tela cellulosa non in solis cruribus, sed etiam per totam pelvim usque ad musculum psoam, iliacum internum etc conditionem morbosam habuit."

§. 5.

CAUSSAE.

Caussae hujus morbi difficile sunt detegendae, difficiliusque ad rationem quandam sunt referendae. Causae disponentes affectiones glandularum aut venarum, arthritis atque alia vitia organica esse videntur.

Sed aliquid de caussis occasionalibus disseram, quum mulieres et validae et infirmae, juniores et aetate provectae, aeque nobiliores ac pauperes, et quid multa? omnes et quaeque corporis conditio huic malo faveant. Eodem modo ne id quidem certo contendere possumus, partum esse caussam peculiarem. Primum enim jam in gravidis Phlegmatia alb. dol., teste Evans, observata est. Cujus aegrota, constitutionis debilis, tertio circiter graviditatis mense metrorrhagia afficiebatur, quae postridie, quanquam non tam vehementer, perseveravit, et lenibus doloribus in regione lumbali conjuncta erat. Decem post diebus eodem statu institit morbus. Tum autem dolores crus ac pedem, frigore in his partibus et toto in cor-

pore antecedere, aggrediebantur. Sequente die intumescebant regio iliaca, labia pudendorum et extremitates inferiores lateris sinistri; dolores et tumor exacerbantur deinde, et omnia tandem symptomata Phlegmatiae albae dolentis aderant, quae autem, quod non praetermittendum est, una cum partu plane evanuerunt. Hic graviditas caussa efficiens erat. Tum autem tam post leves et regulares quam post abnormes et graves, et post primum et post sequentes enixus inveniebatur. Deniqe etiam huic sententiae oppugnat, quod morbus et ipsos viros atque extremitates superiores corripit. White enim unum exemplum affert [1]) viri cujusdam, septuaginta annos nati, qui, ab alta declivitate in latus sinistrum lapsus, herniam sibi paraverat. Quatuordecim post diebus sinistra scroti pars intumescebat, et supra totum latus abinde se effudit intumescentia. Itemque Simmons 2) narrat, virum aliquem phlegmatia correptum esse, postquam testis dexter antea cancere degeneratus exstirpatus fuerit. Porro W. Sankey 3) in viro sexaginta annorum Phlegmatiam vidit. Denique morbus noster in viro evenisse fertur in: „Repertorium der neuesten Literatur, Leipzig 1819. 1. pag. 6.“

1) l. c. pag. 91. sqq.

2) On the Phlegmasia alba, in London medical and physical Journal 1806. XV. pag. 5.

3) Edinburgh Journal l. c. pag. 402.

Ex his, quae protuli, jam apparet, etiam functiones puerperarum, lactis secretio vel nimia vel diminuta, lochiorum secretio et hoc genus alia, nihil valere ad efficiendum hunc morbum, quam sententiam Puzos et Levret autumant.

Carus casum observavit, ubi ren tuberoso calculo impletus venas et nervos sui lateris irritavit, et post enixum Phlegmatia hanc irritationem secuta est 1).

White contendit quidem, plerumque in eo latere esse morbum, in quod inter partum mulieres accubuerunt, sed ipse historias affert, in quibus ita res sese non habuit, atque apud nos fere semper in dorsum accumbentes mulieres parturiunt.

Morbus est rarissimus, sporadicus, quod in omni anni tempore adparet, igitur etiam constitutio annua accusari non potest. Refrigerationem in puerperio maximi momenti esse ad provocandum nostrum malum, nonnulli contenderunt 2), alii autem aut id refutarunt 3), aut refrigerii mentionem non faciunt. — Denique a nonnullis animi pathemata accusata sunt. —

---

1) Carus Lehrbuch der Gynaekologie. Leipzig 1828. Th. II. pag. 538.

2) Ferriar in d. Sammlung auserlesener Abhandlg. XIX pag. 230. — Sachtleben in Stark's Archiv 1789. II, 2 pag. 44. — Burns l. c. pag. 582.

3) White, An inquiry into the nature and cause of that Swelling on one or both of the lower extremities, which sometimes happens to lying-in women, 1784.

Hactenus de caussis efficientibus; progrediamur vero ad causam proximam vel naturam hujus morbi perscrutandam. Qua de re magnus exstat sententiarum numerus, neque ulla est hypothesis, quae non ab uno alterove auctore aut accusata, aut illustrata et argumentis firmata sit. Quum autem nulli, ne doctissimo quidem, unquum contigit, ut de natura morbi ullius certam sententiam poneret, nobis liceat, etiam hic in nulla cujusquam verba jurare, sed potius contendere, genesin hujus mali omnino non simplicem esse, sed varias caussas unius hujus morbi esse. Referamus igitur sententias, quae ab auctoribus prolatae sunt:

E nominibus, quibus noster morbus denotatus est, et quae in capite primo jam commemoravi, videmus, phlegmatiam alb. dolent. esse habitam metastasin lacteam. Puzos, Levret et Deleurge 1) hanc sententiam posuere. Sed ad hanc refellendam jam sufficit repetere, quod supra monuimus, hunc morbum non solum puerperas, sed etiam gravidas et viros afficere.

Alia Whitii 2) sententia est, qui caussas proximas in obstructione et ruptura vasorum lymphaticorum ponit. Dicit enim: „Si margo in superiore pelvis apertura cristam eminentem in osse pubis format, quae acie tenus instrumentum ad

---

1) Traité des Accouchements. Paris 1770 §. 1058. sqq.
2) l. c. pag. 95.

complicandum „Falzbein“ aut cultrum adaequat, et serrata est, si deinde uterus gravidus in doloribus ad partum lymphatica vasa in istum marginem comprimit, necesse est, illa vasa, quae supra hanc cristam in pelvin decurrunt, discindantur aut dissecentur, et contenta evacuent. Si aperturae absorbentium iterum coëunt, quod inter nychthemrum et sex hebdomades fieri solet, et cicatrix formatur, lympha absorbentium et glandularum retinetur: quo fit, ut inguina, pudenda et cruris superior pars intumescant etc.“ Sed secundum hanc theoriam necesse erat, oriretur morbus mox post partum, si scilicet mox vasorum discissorum fines jungerentur. Quodsi autem per nonnullas hebdomades duraverit, et priori tempore, ut vidimus, morbus exoriri non solet, tum jam lymphaticorum anastomoses, si lymphae profluvium per majores truncos impeditur, ita dilatatos esse opus esset, ut tumor membri illa ex caussa fieri non posset. Viderunt etiam multi auctores velut gravissimas rupturae vasorum lymphaticorum sequelas: fungum articularem, phthisin, oedema, abscessus lymphaticos, nemo vero unquam morbum nostrum.

Callisen 1) dicit: non raro videtur obstructio non satis aquosae lymphae et vitium vasorum absorbentium et glandu-

---

1) Callisen's System der neueren Wundarzneikunst zum öffentlichen und Privatgebrauch. Aus dem Lat. von Kühn. Koppenhagen bei Proft und Storch 1798.

larum lymphaticarum, quo inhalatio impeditur, caussa hujus morbi esse. Trye 1) in glandularum intumescentia et absorbentium vasorum inflammatione caussam esse quaerendam putat; Hull 2) vero in statu inflammatorio, quo lympha in telam cellulosam effundatur; Davis 3) in inflammatione in pelvi sitarum venarum, qua sanguinis cursus prohibeatur; Velpeau 4) et Lee in venarum extremitatum inflammatione cum phlebitide uterina conjuncta; Casper 5) in inflammatione systematis absorbentium, in nonnullis casibus fortasse simul etiam telae cellulosae; Dugés 6), Albers 7), Burns 8) in nervorum inflammatione caussam proximam ponunt.

Ex his omnibus, tam variis et diversis sententiis id solum argumentum certo ponere licet, inflammatorium statum exordium nostri morbi esse, quoniam gravidarum et puerperarum conditio

---

1) Charles Brandon Trye, an Essay on the swelling of the lower extremities incident to lying-in women. London 1792.

2) An Essay on Phlegmatia etc. Manchester 1800.

3) An Essay on the proximate cause of the disease called Phlegmatia dolens. Medico-chirurgical transactions T. XII. p. 2.

4) Archives générales de médicine 1824 Octbr.

5) l. c. pag. 33.

6) Mémoire sur la névrite puerpérale. Revue medical 1814 Août.

7) Hufeland's Journal 1817. 2. pag. 16.

8) Burns l. c. pag. 582.

semper in adaucta vitalitate versetur, igitur facile inflammationibus faveat. Etiam in illis casibus, qui de hoc morbo in viris observati sunt, antecessit violatio quaedam cum inflammatione. Utrum autem glandulae lymphaticae, an vasa absorbentia, an venae, an nervi inflammata sint, certo contendere non licet. Ut mihi quidem probabilius videtur, nervos in primis affectos existimaverim.

§. 6.

PROGNOSIS.

Ex sententia omnium auctorum et ex iis, quae hactenus exposui, Phlegmatia alba dolens, si non semper pessimam, tamen omnino malam admittit prognosin. Nam optimus exitus ille, si tumor sensim sensimque resolvitur, dolores remittuntur, et extremitas rursus ad functiones integras reducitur, tardissimus est, mensesque et annos perdurat. Sic Boer 1) affirmat, se mulieres novisse, quae per integrum annum hoc morbo laboraverint. Westbergii 2) aegrota jam per duos annos tumorem sensumque gravitatis in extremitatibus inferioribus est perpessa. Casperi 3) aegrota secunda, quae mense Decembri hoc morbo corripiebatur, mense Augusto nondum erat plane sanata.

---

1) Abhandl. u. Versuch. l. c. pag. 121.

2) Hufeland's Journ. 1817. Febr. pag. 9.

3) l. c. pag. 55.

Saepenumero etiam, resoluto tumore et symptomatibus omnibus remotis, extremitatis debilitas et misera claudicatio diu, adeo per vitae decursum perdurat.

Alius exitus suppuratio est, quam quidem White negat, sed ex ipso ejus opere 1) casum afferre licet contrarium. Dicit enim: „ — — circiter unum mensem post partum, (triginta horas post eum a Phlegmatia erat affecta) animadvertit aegrota tumorem ad posteriorem et inferiorem partem pelvis lateris sinistri, ita ut in hoc latere sedere non posset. Hic tumor sensim ad magnitudinem capitis infantis increscit, et quindecim menses post partum ruptus, magnam puris copiam emisit. Quo facto, mox abscessus est sanatus, et tumor cruris ac pedis evanuit; aegrota mox reconvalescentia gaudebat, jam iterum peperit, neque morbo est correpta. Cicatrix sita in margine inferioris partis ossis sacri lateris sinistri cava est, ita ut digitus in eam immitti possit etc.“ Etiam alii jam citati scriptores hunc exitum observarunt. — Gangraena raro est observata. De elephantiasiasi bene disseruit Casper 2).

Tristissimus nostri morbi exitus est ille in mortem, qui negari nullo modo potest. Puzos 3) affert unum exemplum, ubi post viginti dies, et alterum, ubi post septem dies aegrotae

---

1) Untersuchung der Geschw. etc. pag. 89.

2) l. c. pag. 20 et pag. 45.

3) Sammlung auserlesener Abhandlg. etc. pag. 26 et 70.

mortem obierunt. Et Zinn 1) et Hull 2) etiam exempla afferunt. Si intrat mors, sequela vel suppurationis vel gangraenae esse potest. Tum horripilationes cum vomitu, dolor in omnibus partibus, pulsus celer et deliria praecedunt, ac tertio, quinto, septimo vel nono a morbo die hominem mors supervenit.

§. 7.

CURA MORBI.

Quum caussae hujus morbi, ut jam saepe demonstravimus, tam difficiles sint ad stabiliendum, nemo forsan dubitet, quin eo difficilius accurata medendi methodus et specifica sit statuenda. Permulta sunt remedia laudata, sed inter omnia nullum, quod in quoque casu adhiberi possit. Sic exempli caussa in aegrota validae et plethoricae constitutionis summo cum fructu venaesectionem instituemus, quae e contrario in infirma et jam haemorrhagiis debilitata muliere plane inepta foret. Igitur etiam in Phlegmatia alba dolente, ut in plurimis morbis, illud spectare et tueri debemus, naturam morborum medicatricem, itaque medicum ejus ministrum nec magistrum esse. Quam ob rem curandum est, ut aegrotam feliciter per morbum ducamus, neque

---

1) Commentar. societat. reg. scientiar. Götting. II. 1752.

2) Physisch-medicinisches Journal nach Bradley und Willich, bearbeitet von Kühn. Leipzig 1802. pag. 106 sqq.

vero mederi morbo. Haec spectantes, remedia commendata atque adhibita enumeremus:

Primum stadium, quod sine dubio inflammatoriam personam induit, apparatum antiphlogisticum poscit. Rarissime venaesectione opus erit; damnum potius aegrotae, illa instituta, in plurimis casibus paratur, quod vires debilitat et reconvalescentiam retardat. Pulsus, quamvis celer, fere nunquam venaesectionem jubet, nam nec durus nec plenus est; etiam dolores non tam inflammatorii quam nervosi sunt, quod jam eo demonstratur, quod Opium magno cum successu adhibetur. Sin vero pulsus celer, inflammatorius; calor valde adauctus; dolores capitis vehementes, et febris acuta est, venaesectio utilissimam sese praebet. Hirudines contra ab omnibus sunt laudatae, imprimis quum morbus nondum provectus est. Apponuntur ad regionem inguinalem initio morbi, et, si jam extremitates affectae sunt, ad femur et crus.

Interne in hoc statu praecipue Calomel, singulis horis ad gr. ß—j, porrigitur, et bene cum Opio jungitur. Salia neutra omnes scriptores celebrant, maxime Kali sulphuricum et Tartarum depuratum. Utilissimam sese praebuit Digitalis, Hullio et Westbergio auctoribus, qui mane vespereque guttas XXX tincturae digitalis cum guttis X tincturae Opii adhibuerunt. Idem affirmat Martin, qui ita praescribit:

Ch. White, an inquiry into the nature and cause of that Swelling on both of the lower extremities, which sometimes happens to lying in women. Edit. prim. 1784; altera Manchester 1801. Deutsch: Untersuchung der Geschwulst bei Kindbetterinnen an d. untern Gliedmassen. Wien 1802.

Charles Brandon Trye, an Essay on the swelling of the lower extremities incident to lying-in women. London 1792.

Puzos, Davis, Levret in d. Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche practischer Aerzte. 1 Bd. 1 Stück. Leipzig 1785.

Dugés revue médical 1814. Août.

Sachtleben, in Stark's Archiv für die Geburtshülfe. Bd. II.

Commentarius de phlegmatia alba dolente, auctore J. L. Casper. Halae 1819.

Freiberg, annotationes in Phlegmatiam albam dolentem. Halae 1820.

L. A. Struve, commentatio de Phlegmatia alba dolente. Tübingen 1825.

F. L. Meisner, Forschungen des XIX Jahrhunderts im Gebiete der Geburtshülfe. 2 Bd. S. 261.

Groetzen, über einige wichtige Krankheiten der Weiber, in Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde. 28ster Band, III Heft. S. 387.

Handbuch der Geburtshülfe mit Inbegriff der Weiber- und Kin-

derkrankheiten von John Burns, herausgegeben von Dr. H. F. Kilian. Bonn 1834. S. 579.

Lehrbuch d. Gynaekologie v. C. G. Carus. II Th. Leipzig 1828.

Ryan in London medical and surgical Journ. 1830.

VITA.

Ego Carolus Georgus Rudolphus Deetz natus sum die 11 m. Decembris anni MDCCCXVI in oppido Neo-Brandenburgo patre Joanne Deetz, matre Dorothea e gente Simonis; quos mortuos parentes lugeo. Primis litterarum elementis in patria urbe instructus, octo annos natus gymnasia Neosedini et Cussalini frequentavi. Anno h. s. tricesimo quinto, postquam decem annos in hisce gymnasiis versatus fui, solemni maturitatis examine absoluto, per annos quatuor et dimidium Gryphiae, Vratislaviae et Berolini medicinae operam dedi, ac scholis interfui hisce:

Logicen, historiam philosophiae et psychologicam me docuit Ill. Stiedenroth; Tacitum et historiam litterarum Graecarum Ill. Walch; Aeschylum, Juvenalem et Homerum Ill. Schoemann; historiam naturalem generalem, zoologiam et botanicen Ill. Hornschuch; physicen Ill. Tillberg et Cel. Dove; chemiam Cel. Fischer, Ill. Hünefeld et Ill. Mitscherlich; mineralogiam Ill. Hünefeld; osteologiam et syn-

desmologiam Cel. Laurer; anatomiam et pysiologiam Ill. Schultze; administrationes anatomicas et historiam foetus Ill. Otto; pathologiam specialem Cel. Casper; materiam medicam Cel. Mitscherlich; chirurgiam Cel. Ascherson; ossium fracturas et luxationes Cel. Remer; artem obstetritiam Ill. Busch; medicinam forensem Ill. Wagner. Exercitationibus chirurgicis et medicis interfui Ill. Osann, Cel. Truestedt et Ill. Wagner.

Nunc vero, tentaminibus philosophico et medico itemque examine rigoroso absolutis, spero fore ut, dissertatione thesibusque defensis, summis in medicina et chirurgia honoribus ornatus evadam.

THESES.

1. Mercurius syphilidem nunquam sanat.
2. Quies post coenam magis quam motus prodest.
3. Aqua saluberrimus homini potus.
4. Pulsus in morbis cognoscendis fallax est signum.